

Franckesche Stiftungen zu Halle

Considerationes Modestae & pacificae Controversiarum De Justificatione, Purgatorio, Invocatione Sanctorum, Christi mediatore, & Euchariastia

Forbes, William

Helmstadii, A. MDCCIV.

VD18 11391456

Cap. I. In quo angelorum & sanctorum invocationem, variis ipsorum
Romanensium testimoniis, non esse simpliciter necessariam, ostenditur.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-219598](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-219598)

possint, sed nihil certi. Det Dominus pro immensa sua gratia, ut ad sobrietatem sapiant omnes christianae pietatis cultores, praesertim in iis, quae non sunt clare in scripturis revelata, nec curiosas & inutiles consecretur aut scrutentur quaestiones. Atque haec de angelorum & sanctorum intercessione sufficiant.



Pag. 289.

Pars altera.

in qua

De Angelorum & Sanctorum

Invocatione

agitur.

CAP. I.

In quo angelorum & sanctorum invocationem, variis ipsorum Romanensium testimoniis, non esse simpliciter necessariam, ostenditur.

Videri

Videri possent Patres concilii tridentini necessitatem invocandi sanctos astruere, quando sess. 25. * c. 2. decernunt, *impie illos sentire, qui negant, sanctos invocandos esse*; verba enim haec postrema, ambiguum, ut constat, habent sensum. Sed quum ibidem statuunt tantum, *bonum & utile esse suppliciter illos invocare*, nos iudicium charitatis secuti, hanc invocationem illis non simpliciter necessariam visam esse existimamus.

Bellarminus etiam, cum titulum hunc praefixisset cap. 19. lib. 1. de Sanctorum beatit. *Sanctos esse invocandos*, & quamvis aperte etiam necessitatem istiusmodi invocationis asserere videri possit cap. 25. ejusdem libri, cum ad communem Protestantium argumentum, (Pag. 290.) quod invocatio sanctorum nullum habeat scripturae mandatum, respondet, *nullum certe mandatum requiri, quando ipsa nos impellit necessitas*, hanc tamen solum thesin subjungere contentus fuit cap. 19. *Sancti sive angeli, sive homines, pie atque utiliter a viventibus invocantur*. Et cap. 10. respondens ad locum Ambrosii, sive alicujus alterius potius in 1. ad Rom. sic inquit: *Quod in fine addit, ad Deum promerendum non esse opus suffragatore, intelligitur ex parte Dei: tamen ex parte nostri opus esse suffragatoribus, vel saltem id esse utilissimum, idem Ambrosius clari-*

Ee 4.

* Cap. 2.] Vel potius decreto de Invocatione & veneratione & reliquiis Sanctorum, pag. 507. edit. colou. A, 1672.

risime docet. Jo. Faber, episc. viennensis, contra Oecolampad. de Intercessione Sanctorum, pag. 169. scribit: *Contendit Oecolampadius, in meis scriptis me praecepisse, ut sancti invocentur. Quod ego in me confictum assero, & qui legent accuratius, ita esse comperient: non enim praecepi, sed nos hoc posse facere affirmavi: nec enim me latet, quot Moysi tabula praecepta complectatur.* Suarez in Defensione fidei catholicae adversus anglicanae sectae errores, lib. 2. cap. 9. *In hoc puncto (de invocatione sanctorum loquitur) necessarium est, opus a fide, & usum a iudicio discernere. Nam licet alicui satis fortasse possit esse ad salutem, Deum per J. Christum invocare, etiamsi sanctos non invocet; non tamen sola per Christum invocatio satis erit ad salutem, si de sanctorum invocatione male sentiat vel iudicet, quia per hoc iudicium pertinax haereticus constituitur. Deinde, quamvis homini de fide invocationis sanctorum recte sentienti, usus talis invocationis possit non esse impositus sub praecepti necessitate, & ideo satis illi esse possit, Deum per Christum invocare: multis vero, quibus necessitas invocandi sanctos ex officio & debito ac praecepto incumbit, non satis est, Deum per Christum invocare, nisi sanctos invocando obligationi suae ac praecepto sibi imposito satisfaciant, &c.* Nicol. Serarius de Litanis lib. 2. quaest. 25. *An catholico cuilibet necessarium sit, sanctos invocare? Audire, inquit, licet tam catholicos quam haereticos, qui hoc interdum sciscitentur, & iis breviter & clare, isto fere modo respondendum. I. Catholico*
neces.

necessarium est credere, rectam & christianae pietati consentaneam esse sanctorum invocationem; partim quia tota illa docet catholica Ecclesia, partim quia & facit. Pag. 291.) 2. Cum publicis interest catholicus quispiam precibus, sive in liturgia, sive in litania, sive in similibus aliis, & cum publicas precari preces debet, verbi causa, si ordini sacro initiatus sit, beneficium habeat ecclesiasticum, vel alia quacunque de causa, tenetur is sanctos invocare, quia vel suam precibus publicis, si quidem earum velit esse particeps, mentem ac voluntatem conjungere, vel eas etiam totas ac integras probare ac orare debet. 3. Cum privatim orat quis, sive domi hoc agat, sive in templo, ut publicanus ille Luc. 18. 13. aut alibi, nulli ulla catholico lex aut necessitas, ut sanctos invocet; sed solum, nullo sanctorum adhibito precatore, affari & invocare Deum potest. 4. Si quis omnibus necessario invocandos sanctos pertinaciter doceret, non aliter haereseos damnaretur, quam qui res aliqui bonas, sed adiaphoras, omnibus ad salutem necessarias contenderet.

Cardin. Perronius in ep. ad seren. M. Brit. Regem, Jacobum VI. distinguit in hac re atque id genus aliis, inter necessitatem actionis & necessitatem approbationis. Vide resp. Casaub. pag. 30. & Liturgiam ecclesiae anglicanae improbat, quia invocationem sanctorum, qui in caelis sunt, damnat. p. 46. Immo episcopus wintoniensis, vir gravissimus, in sua Responsione ad cap. 10. lib. 5. Replicationis cardinalis Perronii, inter opuscula posthuma pag. 57. refert, saepe si-

bi a Cl. If. Casaubono narratum, quod sibi cum cardinale de invocatione sanctorum dissertanti, cardinalis libere fassus fuerit, *nunquam tota sua vita se quengquam sanctorum orasse, nisi cum forte procesionem sequi contingeret; tunc quidem cum clericis cantasse, ora pro nobis, sed non alias.* Georg. Cassander in Consult. art. 21. pag. 986. Haec, quae de interpellatione sanctorum dicuntur, non eo pertinent, ut simpliciter horum interpellatio ad salutem necessaria putetur; (notum est enim illud Chrysostomi Homil. de Profectu evangel. Caeterum non opus tibi patronis apud Deum, sed, licet solus sis, patronoque careas, omnino tamen voti compos eris) *sed ut ne temere universam Christi Ecclesiam damnemus, quia huiusmodi interpellatione tam regnantium, quam peregrinantium sanctorum utilem esse Ecclesia iudicavit: item, ut nec superbe huiusmodi sanctorum preces rejiciamus & assernemur.* Pag. 292.) Pontificius ille anglus anonymus F. T. qui contra responsionem episcopi eliensis, ad cardin. Bellarmini Apologiam anglice scripsit, c. 7. n. 29. fatetur, *sanctorum invocationem ad salutem non esse necessariam.* Videatur episcopi Defensio per Collinum pag. 276.

Bonum est, quandoque rogare sanctos, inquit Jo. Barnesius in suo Catholico-romano pacifico, sect. 10. de Intercessione Sanctorum, ut Deum orent pro nobis ex affectu humanitatis, quo ipsi in nos feruntur. Non igitur simpliciter necessarium est. Archiep. spalat. in Ostensione errorum Fr. Suarezii cap. 2, n. 20. *Invocationem Sanctorum*